

*O flos scriptorum salue bene uate (sic) magister.
Nunquam tetrorum te terreat ordo sinister.*

Ad oram inferam Codex quondam fuisse dicitur *Plebani in Aucespach*.

CLVIII.

- U. 17 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 303. f. per duas columnas probe scriptus, rubricis distinctus, atque a memorato *Thoma de Wuldersdarff* Collegio Ducali *Viennae* 1478. testamento legatus, est Pars I. *Postillarum Nicolai de Lira O. M. in Novum Testamentum*, seu IV. *Evangelia*. Titulus miniatus: *Commendacio legis ewangelice*. Initium: *Quatuor facies uni. Ezech. primo. Sciendum quod scribit beatus Gregorius &c.* Ad oram infimam calcis: *Explicit Nic. de lira super ewangelia 20. die maij anno 1454.*

CLIX.

- U. 418 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 264. f. maj. per duas columnas saepe ob scripturae differentiam subdivisas exaratus; Textus enim character grandis est, Glossae minor, rubricis ornatus, et Ducali Collegio relicto legato *Thomae Haselbachii* nostri est Pars prior *Expositionis, Catenae, Continui*, seu *Glossae a Thoma Aquinate* in IV. *Evangelia* e PP. Dictis congestae complexa *Matthaeum* et *Marcum*. *Matthaeus* dicatur *Sanctissimo ac reverentissimo patri, domino urbano diu-*

na providentia papae quarto, et incipit: *Fons sapientie unigenitum dei uerbum &c.* *Marcus* vero fol. 199. *Reuerendo in christo patri domino anibaldo basilice XII. apostolorum uenerabili presbitero cardinali*, hoc initio: *Rerum opifex deus solo sue bonitatis intuitu &c.* Utraque *Catena* integra, prout extat Edit. *Rom. Opp. Thomae* 1570. T. XV. et *Parif.* 1660. T. XVI.

CLX.

- Codex membraneus lat. Sec. U. 419 XIV. Folior. 276. f. maj. ejusdem rationis cum praecedente, cujus est Pars posterior, *Lucam* et *Johannem* exhibet, et prior quidem plenius incipit, quam Bibliothecarii Ord. Praed. T. I. p. 326. indicaverunt: *Inter cetera incarnationis christi misteria, que ysaias propheta diligenter et apte prenu- ciat, dicit: Induam celos tenebris &c.* Alter vero fol. 153. *Diuine uisionis sublimitate illustratus ysaias propheta dixit: Vidi dominum sedentem super solum &c.* Igitur nec hic rite retulerunt dicti Bibliothecarii, quos ceterum de *Operis* hujus ob praestantiam *Catena aurea* dicti, et jam inde ab anno 1470. saepius prelo subditi historia consules.

CLXI.

CLXI.

U. 240 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 274. f. per duas columnas non una manu, bene tamen perscriptus, minio distinctus et quondam, ut praenotatur, *Jacobi diēti Sopweyn ex Olmuncz predicatoris in Noua Ciuitate*, dein *D. Johannis Raskuli Carthusiani prope Dolan*, nempe *Moraviae*, *D. Thomae Aquin. Catenam auream*, sed in solum *Matthaeum* continet ab Exemplo mox adlato nihil abluentem.

CLXII.

R. 3306 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 197. f. maj. per duas columnas caractere minore, atro, splendido perscriptus, coloribusque illustratus amplas in *Matthaeum* primum, tum in *Lucam Postillas* continet, quarum priores ineunt: *Quattuor sunt minima terre &c.* posteriores vero: *Vidi et ecce quattuor quadrigae &c.* Ad calcem Codicis legas: *Explicit postille super Lucam Secundum fratrem Hugonem de Sancto Jacobo.* Variis Vir hic ex Ord. Praed. ad purpuram cardinalitiam promotus, primus *Concordantiarum* biblicarum designator, et a. 1262. extinctus cognominibus a Librariis mactatus est. Audit enim *Hugo de S. Charo*, vulgo *de Saint Chers*, de *S. Theuderio*, seu *Theoderio*, vel *Theodorico*, de *Vienna*, et a commoratione in Conventu Parisino *Jacobita*, aut de *S. Jacobo*, uti videre est apud Ord. Bib-

liothecario. T. I. p. 194. ubi etiam enumerantur Operis, quod prae oculis habemus, Editiones.

CLXIII.

U. 144 Codex chartaceus lat. Sec. XV. ineuntis, Folior. nunc 134. f. per duas columnas exaratus et rubro pernotatus est *Catena PP. in D. Matthaei Evangelium*, de qua *Εισαγωγης* principium deperit, ita, ut nunc prima sit *Augustini de Haeres.* autoritas: *Sabellium discipulum noeti quidam perhibent qui dicebat Christum eundem et patrem et spiritum sanctum.* Initium ipsius Expositionis est: *Liber generationis ihesu christi filij dauid. non ergo liber ewangelij ihesu christi sed liber generationis &c.* Expositio porro depromitur ex *Augustino*, *Glossa*, *Cyrillo Alex. Leone*, *Remigio*, *Ambrosio*, *Johanne Chrys.* *Hieronymo*, *Rabano*, *Hilario*, *Gramadio* (*Gennadio*) *de eccl. Docum.* *Origene*, *Beda*, *Sulp. Severo*, *Theodoro Abucara*, *Petro Alphonso*, *Gregorio M. Gregorio Nyss.* *Theophilo Alex.* *Pseudodionysio*, *Maximo &c.* *Bernardum* tamen non reperi; unde de *Catena* hujus aetate, quemadmodum e reliquis de praeclaro Collectoris studio, adparatuque librario concludi potest. Finit ille in *Leone* his verbis: *qui sursum inuitat ad gloriam, cuius glorie participes nos faciat ipse christus rex glorie qui est deus benedictus in secula seculorum Amen.* Succinente Librario: